Responsum S. R. Mtis
Ad Orationem Legatorum Ill.mi Electoris Brandenburg.

Qui intercedunt Ill.mæ domui Brandenburgicæ cum S. R. Mte et inclito
Poloniæ regno necessitudinis, amicitiæ et debitæ pro acceptis beneficijs obli-
gationis nexeq ut minime necessarium sit, ampliori id explicare sermone.
Certè si Ill.mus Elector vel affectum S. R. Mtis erga se planè propensis-
simum, vel ipsam beneficij magnitudinem diligentius expenderet, non modò
legione aliqua militum, cuius mentionem DD. Oratores fecerint, quamvis de
eo S. R. Mti hucusque nihil constitit, sed omnibus viribus opibusque ad
communem hostem propulsandum periclitanti huic regno merito suc-
currere deberet. Ita demum abundè testaretur, se et iura sangui-
nis, propinquaeque necessitudinis religiosè observasse et acceptum benefi-
cium, ea qua par est, gratitudine exolvisse et debitum fiduciarij
principis officium adimplevisse. Sic S. R. Mtem Dnum nrum clem.mum
sic rempubl. hanc sibi successuraeque posteritati arctiori vinculo devin-
ciret et obstringeret.

Quod victoriam de communi Christianitatis hoste S. R. Mti DD. Ora-
tores precantur, id unicum quoque S. R. Mtas omnibus expetit votis, ut
barbaro hoc hoste à finibus regni potenti manus excelsæ brachio repulso
communis sit cum S. R. Mte universo Christiano Orbi de eo trium-
phus.

Cæterum quod DDni Oratores Commissionem à S. R. Mte in Prussiam
decretam impugnarint, existimat S. R. Mtas, id minus considerate eos
fecisse. Exempla priorum temporum docent, nihil novi hac in parte factum
esse: Commissionem autem in fundamento directi Dominij firmatam ee, ita
clarum est, ut frustra de eo ambigi debeat. Qua quidem Commissione
nihil amplius quærebatur, quàm ut rectum et laudabile ad normamque anti-
quissimorum Pactorum ac commodatum regimen Ducatus Prussiæ in suo
robore vigoreque permaneret. Cum ita S. R. Mtas Dnus nr clement.mus
ius directi dominij autoritatisque suæ tuetur, cum publico illius Provinciæ bono
prospectum cupit, perspicere non potest, quanam ratione de utili dominio
quidquam decedere possit: multò minus, cur Commissio hæc invalidari
vel pro legitima agnosci non debeat, quam tamen S. R. Mtas debitum
robur omninò vult obtinere.

De nobilitate Ordinibusq; Ducatus Prussiæ, qui iura et libertates à Di-
vis Prædecessoribus nostris indultas, sartas et integras habere volunt,
non est, quod tantopere Dñi Oratores conquerantur, cum potius gratias
illis agere deberent, quod tam laudabili ardentiq; zelo eam quam a majori-
bus suis acceperunt virtute et meritis eorum erga Reipub. bene partam
libertatem conservare contendunt. Laudandi potius sunt quam culpandi
quod pristinum Provinciæ statum retinere omni studio satagunt, quod iis quæ
nova illis videntur et antiquis eorum moribus minime congrua non assen-
tiantur.

Allata sunt et multa alia à Dnis Oratoribus quæ in præsentia S. R. Mtis eos
postulasse minime decebant et debitæ eorum subjectioni non conveniebant.
jusq; directi dominij S. R. Mti competens visa sunt infringere sed iis in præ-
senti et difficili Reipubl. tempore ad severiorem trutinam non revocatis
S. R. Mtas Dnus nr clemmus pro innata benignitate et singulari erga domum
Brandenburg. propensione sua Illmum Electorem ad præstandum homagium
admittit et investituræ accipiendæ diem assignat.

Facit id S. R. Mtas non de ulla necessitate juris, sed ex mera sua benignitate
ea tamen conditione, ut omnibus quæ per Dnos Commissarios sunt decisa
in toto satisfiat, præcipue autem, quod attinet distributionem officiorum
quæ S. R. Mtas circa eas personas quibus sunt collata, omnino vult re-
servata esse. Quod alia, quæ in controversia sunt puncta attinet, ea
S. R. Mtas considerando præsentes Reipubl. difficultates ad futura Comitia
rejicit

[illegible]
o
[illegible]
e
s
ium
e
a
um
re,
en
ii

Responsum
S. R. Mtis Poloniae
et Sueciae
Legatis Ser.mi Electoris
Brandenburgen. pro Prussiae
Ducis. datum in
Comitiis Varsaviensibus
Anno 1621.